



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Incarnatio Mystica Sive Christiformitas**

**Roger, Nicolaus**

**[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.**

Cap. VIII. Christiformitas cum Iesu praedicante in mansuetudine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37940**

Atque hactenus Decalogus; nam præceptum ultimum & undecimum spectat ad paupertatem. Hæc porrò faciat qui in proximi salutem incubit, & vir obediens loquetur victorias. Audiet illud Abrahamo dictum (a): *Quia obedisti voci meæ, faciam te in gentem magnam*, nempè Patrem credentium. Sic Indiarum Apostolus in gentem magnam factus creditur, quia promptissimè obedivit voci mitten-tis eum S. Ignatij. Sic denique Jesus obediens Patri usque ad mortem, Je-su, hoc est, Salvatoris nomen implevit.

(a) *Gen. 12.*

## C A P U T VII.

*Christiformitas cum IESV prædicante in Mansuetudine.*

**Q**Uod cœperat facere Jesus na-scens, hoc cœpit perrexitque dicere prædicans. Quidnam illud? Discite à me, qui mitis sum & humilis corde. Quid mitius infante

N 4 : Deo?

Deo? Tunc apparuit humanitas & benignitas Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos. Ad quid erudiens? Discite à me quia mītis sum, etiam se mītem p̄æponit humili fibi, prius mītem discī volens, quām humilem. Ac humilem quidem jam vidimus cap. 2. nunc mītem videamus, admirēmur, imitēmur.

(a) Apparuit in Christo humanitas & benignitas Salvatoris nostri Dei: apparuerat antē potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione; sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate miserationibus affluens, supereffluens charitate. Quid tu times, ô homo? quid trepidas, à facie Domini quia venit? Noli fugere, noli timere, non venit cum armis, non puniendum ut olim in paradiſo Adam, sed salvandum requirit; & ne forte dicas: etiam nunc vocem tuam audi-

vi,

(a) Ber.ser. I. Nat.

vi, & abscondime, ecce infans est &  
sine voce; nam vagientis vox magis  
miseranda est, quam timenda, aut si  
cui forte terribilis, sed non tibi: par-  
vulus factus est, tenera membra Virgo  
Mater pannis alligat, & adhuc timo-  
re trepidas? Ex quo in nostra venit,  
facilis ad indulgentiam erit: denique  
parvulus est, leviter placari potest:  
quis enim nesciat quod puer facile  
condonat? Et quomodo non esset cle-  
mens, cui perennis accubitus est pa-  
ternæ benignitatis divisorium. (b)  
Illi fons pietatis æterna est mansio, il-  
li familiaris suavitas, illi substantialis  
vel potius consubstantialis bonitas  
est: illi ideo totum quod est, de Patre  
est, ut nil prorsus in regia maiestate,  
nisi paternum peccatorum trepidatio  
suspicetur. Sed ne infantem tantum  
fuisse mitem putas, totam ejus vitam  
percurre, & ubique mitem, ac ber-  
gnum invenies. Mox apparuit ad præ-

N s di-

(b) Ber. ser. 42. Cant.

305 CHRISTIFORMITAS,  
dicandum, & columba super eum ap-  
paruit, spectante ac testante Joanne,  
quid & Agnum Dei palam prædica-  
vit. (c) Nec incongruè ad indicandum  
Agnum Dei venit columba, quia ni-  
hil melius agno convenit, quam co-  
lumba : quod agnus in animalibus,  
hoc columba in avibus est. Summa  
utriusque innocentia, summa mansue-  
tudo, summa simplicitas. Quid enim  
sic alienum ab omni malitia, sicut  
agnus & columba? Nocere cuiquam  
nesciunt, lædere non noverunt. (d)  
Columba gemit ex amore, osculatur  
osculo pacis, non laniat ut corvi, de  
frugibus terræ vivit, innocens ejus  
victus est, quod verè mirandum est in  
columba: sunt passeres brevissimi, qui  
vel muscas occidunt, nihil horum  
columba; non enim de morte pasci-  
tur. Hoc symbolum mansuetudinis  
Christi, de quo prædictum est (e) quod

Ca-

(c) Ber ser. I. Epiph. (d) Aug. tract. in  
Ivan. (e) Is. 42.

Calamum quassatum non conteret , nec lumen fumigans . Dicite , ait Spiritus non commotionis , sed auræ tenuis , & non iam ignis ante ipsum præcedentis , dicite filiæ Sion animæ studioræ Christi formitatis : (f) Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus . Regnavit enim à ligno crucis patiens , non à baculo timoris confringens . Unctus oleo benignitatis regnavit propter veritatem & mansuetudinem , specie suâ & pulchritudine suâ non dominatus majestate intendens ac procedens . Quid humanius homine - Deo cum hominibus conversante ? Rudes discipulos perinde cum eo ferè ut cum æquali agentes , & manibus suis eum contrectantes , osculantes , convivantes , parum sine dubio memores ac reverentes tantæ majestatis , quanta mansuetudine tolerat . ) non increpat identidem , non indignatur , denique non habet amaritudinem conversatio , nec tedium convictus

N 6

il-

(f) Matth . 21 .

illius. Exierunt aliquando ipfimēt dī-  
scipuli cūm vinculis tenēre eum , di-  
centes ; quia in furorem versus est, an  
excanduit ? cūm de passione sua lo-  
cūtus esset , continuo contentio orta  
est, quis videretur eorum esse major;  
instruxit quidem , an etiam increpuit  
acerbius ? corripuit certe zelo indi-  
gnationis accensos , cōeloque ignem  
evocare cogitantes adversus Samari-  
tanos inhōspitales , negans hunc esse  
spiritum suum. Imperant cæco cla-  
manti ut taceat : ipse verò ad cæcum,  
quid vis ut faciam tibi, ô benignitas !  
abigunt parvulos ; at ipse : finite par-  
vulos venire ad me, eos blandè com-  
plectitur , ac tales esse discipulos ad-  
monet. O humanitatem ! Peccatori-  
bus autem quām facilis ac propitius !  
Samaritanæ quām affabilis hortator !  
Quām benignus Magdalenæ advoca-  
tus & laudator ! Quām indulgens ad-  
ulteræ judex ! Pastor bonus ovem per-  
ditam quærit, non deserit , inventam

non

non verberat, sed humeris imponit, & gratulari sibi Angelos propterea jubar. Prodigum filium reversum quantâ benignitate excipit? Rogatus quoties indulgendum fratri, quando in nos peccaverit : non septies tantum, sed usque ad septuagies septies, hoc est, sine numero dimittendum monet. Denique pertransiit beneficiendo & sanando omnes. Ultrò se obvium misericordis ingessit, provocavit omnes ad petendum, invitavit sitiens ad potandum, laborantes ad reficiendum. Quid quod etiam latroni paradisum promisit ac dedit : Quid quod Judæ proditoriè osculanti non irascitur, sed Amice, inquit, ad quid venisti? Quid quod Judæis dæmonium habere illum convitantibus nil acerbius respondet? sed omnino tacet, ne tacitus altum sub pectore vulnus premere videatur: Ego, inquit dæmonium non habeo. Quid colaphum impingenti servo? Si male locutus sum, &c. Quid fla-

N 7

gel-

304 CHRISTIFORMITAS,  
gellantibus , quid crucifigentibus ?  
Cùm pateretur, non comminabatur , tra-  
debat autem judicanti se injustè , nec red-  
didit malum pro mālo , nec maledictum pro  
maledicto ; sed tanquam agnus mansuetus ,  
qui portatur ad victimam , coram tondente  
se obmutuit : obmutuit autem ? imo  
clamavit: Pater ignosce illis . Quid quòd  
gloriosus è cœlo Saulum quælivit , ac  
de persecutore fecit prædicatorem ?  
Quot hodieque extant , quibus male-  
dientibus benedicit , & benefacit ijs ,  
qui oderunt illum gratis , nec pluie  
tantūm super inimicos suos , soleisque  
oriri facit , sed etiam sanguinis sui  
merita velut cruentum imbre super  
eos ubertim effundit , licet illi retri-  
buant mala pro bonis , sterilitatem a-  
nimæ suæ . Potestne fingi aut excogiti-  
tari mansuetudo major ? Meritò igitur  
sponsa ei , tametsi masculo , tribuit  
ubera (g) , eaque meliora vino prædi-  
cat . Meritò canitur Patri (h) : Memen-

to

(g) Cant. I. (h) Psal. 131.

to Domine David, JESU scilicet Filij Da-  
vid, & omnis mansuetudinis ejus. Meri-  
tò Paulus (i) obsecrat per mansuetu-  
dinem Christi. At enim sævit inter-  
dum Christus in Phariseos & Scribas  
væ ! crebrum ac horrificum deto-  
nans: in ementes ac vendentes in tem-  
plo , flagellum exhibens : in Petrum,  
sathanam vocans: in Matrem, durius-  
culè mulierem compellans : in filios  
Zebedæi , quid peterent nescire ex-  
probrans : in Chananaxam, canem ap-  
pellans. Denique etiam convescens  
ante ascensum, exprobravit & incre-  
pavit duritas cordis discipulorum ,  
qui euntes in Emmaus, stultos & tardos  
corde ad credendum sugillavit. At  
sævit interdum & columba, pugnat-  
que pennis ac rōstro, pro nido suo, sed  
sine felle sævit : Et Salomon in thro-  
no stipatus leonibus sedet , sed ebur-  
neis leonibus. Etiam JESUS iratus mi-  
sericordiæ recordatur. Incredat Pha-  
ri-

(i) 2.Cer.10.



306      CHRISTIFORMITAS,  
risæos, sed ad medelam: Petrum du-  
riùs appellat, sed erudit ad meritum:  
Matrem verbo non lædit conſeiam  
reverentiæ & amoris, sed ut eam præ-  
paret admiraculum in ejus gratiam  
factum. Noverat ille cui loqueretur.  
Et quis loqueretur illa non ignorabat.  
Denique ut ſcias quomodo re-  
ſponſum iſum acceperit, aut quan-  
tum de Filij benignitate præſumpſe-  
rit, ait ministris: Quæcunque præce-  
perit vobis, ſervate, & facite. (k) Fi-  
lios Zebedæi utrumque à dextris lo-  
cat inter electos ſuprà quām ambie-  
bant per matrem, imò Joannem ſupra  
pectus recumbentem portat. Chana-  
næam laudat, & filiam ſanat. Flagel-  
lum vix poſuit, & jam clamat: Qui  
ſitit veniat ad me, & bibat. Discipu-  
los resurgens docet, & ascendens be-  
nedicit illis. Sic ſævit mansuetudo, ſic  
fervet non malignè, ſed benignè be-  
nè ignita, ſydereo ſcilicet igne beni-

gnii-

(k) Bern. ſerm. dom. I. poſt octa. Epiph.

gnitas. Quid angusti pectoris hominum  
tones excandescitis indignabundi,  
non zelo disciplinæ, ut fallentes vos  
metipos fortè creditis, sed typho su-  
perbiæ? Videte ne vos potius exasper-  
ret contemptus vestri latens in cul-  
pa, unde ignescitis, quām offensā Dei.  
Quid si alius, quid si Deus pari vobis-  
cum zelo ageret? quid si tam distri-  
ctus foret operum vestrorum censor,  
exactor, & iudex? Nimis ignari estis  
infirmitatis humanæ ac vestræ, si mul-  
ta tolerare, indulgere, ac dissimulare  
nescitis. (l) Erud:mini qui judicatis ter-  
ram. (m) Discite subditorum matres  
vos esse debere, non dominos: stude-  
te magis amari, quām metui. Et si in-  
terdum severitate opus est, paterna  
sit, non tyrannica; matres fovendo,  
patres vos corripiendo exhibeatis.  
Mansuescite, ponite feritatem, sus-  
pendite verbera, producite ubera,  
pectorata lacte pinguescant, non typho  
tur-

(l) Ps. 52. (m) Bern. ser. 23. Cant.



turgeant. Quid jugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morsus à serpente parvulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris? si spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans unusquisque seipsum, ne & ipse tentetur: alioquin ille in peccato suo morietur, sanguinem autem ejus, ait, de manu tua requiram. Estote sedato semper animo, quicquid acciderit: mel & lac sint sub lingua vestra: sint & favus distillans labia vestra. Si correptio necessaria est, memores estote illam esse pharmacum, quod nisi suavitate temperetur, merum est venenum. Nunquam sanabitur turbulentā increpatione delinquens, sed irritabitur: fugite ergo laqueos venantium, & dæmonum vobis subiectum iracundiæ & impatientiæ faces, fugite à verbo aspero, sine felle

le s̄avite ad emendationem, cūm o-  
pus est : *responso mollis franget iram, &*  
*alienam, & vestram; mitissimus homi-*  
*nūm Moyses , quem Deus in fide ac*  
*lenitate ipsius sanctum fecit , monstra*  
*placavit in verbis suis. Talium est re-*  
*gere ac leges dare. Dulcis ipse ac rectus*  
*Dominus , propter hoc legem dabit delin-*  
*quentibus in via. Diriget idem mansue-*  
*tos in iudicio , ne conturbetur in via*  
*oculus eorum. Docebit mites vias suas,*  
*viæ autem Domini misericordia &*  
*veritas. Si mitissimi hominum Moy-*  
*fes ac David electi sunt ad regendum*  
*fervos in lege timoris , quales decet*  
*esse qui regunt filios in lege gratiæ, in*  
*regno charitatis. Pronuntiatum Do-*  
*mini IESU est: Beati mites , quoniam ipsi*  
*possidebunt terram, quam terram? Cor-*  
*da hominum : & corda possidentes*  
*quid non possident , succinit Psaltes:*  
*Mansuetib[us] ereditabunt terram, (n) Illa*  
*terra Hierusalem sancta, liberabuntur*  
*de peregrinatione ista, & in æternum*  
*(n) Aug. Pf. 36.*

vi-

vivēt cum Deo, & de Deo: Et quæ erunt  
dīvitiae ipsorum? quæ delitiæ? delecta-  
buntur in multitudine pacis. Delecte-  
tur hic impius in multitudine auri, in  
multitudine argenti, in multitudine  
mancipiorum, in multitudine postre-  
mō opum diversarum, violentiæ,  
lautissimorum & luxuriosorum con-  
viviorum. Nonne et si semper hæc ha-  
beret, plangendus esset? Quæ erunt au-  
tem dīvitiae & delitiæ tuæ, o mansue-  
te? multitudo pacis. Aurum tuum  
pax, argentum tuum pax; prædia tua  
pax, vita tua pax, Deus tuus pax.  
Quicquid desideras, pax tibi erit. Hic  
quod est aurum, non potest tibi esse  
argentum, quod vinum est, non potest  
tibi esse panis, quod tibi lux est, non  
potest esse potus: Deus tuus totum  
tibi erit: manducabis eum, ne esu-  
rias: bibes, ne sitias: illuminaberis ab  
eo, ne sis cœcus: fulciēris ab eo, ne de-  
ficias, possidebit te totum integrum  
sotus integer. Hæc est hæreditas man-  
sue-



suetorum. (o) Hæ sunt reliquæ homini pacifico.) (p) Quid agit in homine pacifico pax mansuetudinis comes & fructus? quid agit adhuc in hujus regionis incertis, in ista peregrinatione mortalitatis nostræ , cùm adhuc nemo est alteri conspicuus ; nemo videt cor alterius , quid agit pax) de incertis non judicat , incognita non confirmat: proclivior est ad bene credendum de homine, quàm ad malè suspicandum. Non se multum dolet errare, cùm benè credit etiam de malo. Perniciosum est autem, cùm quis malè senserit fortè de bono nesciens qualis sit. Quid perdo si credo quia bonus est? si incertum est, utrum sit malus , licet quidem ut caveas ne fortè verum sit : non tamen damnes tanquam verum sit , hoc pax jubet) hoc mansuetudo amat. Quare pacem, & fugientem persecuere eam etiam cum honoris aut commoditui dispensio, ut possideas ac hæreditest terram (o) Ps. 58. (p) Aug. Ps. 147. man-

CHRISTIFORMITAS,  
mansuetorum, & delecteris ac dele-  
ctes in multitudine pacis. (q) Omni-  
no propter mansuetudinem, quæ in  
te prædicatur currimus post te Domi-  
ne IESU , & persequimur pacem no-  
stram & proximorum , audientes,  
quod non spernas pauperem pecca-  
torem non horruisti confidentem la-  
tronem, non lacrymantem peccatri-  
cem, non Chananaoram supplicantem,  
non deprehensam in adulterio , non  
sedentem in Telonio, non supplican-  
tem publicanum , non negantem di-  
scipulum, non persecutorem discipu-  
lorum, non ipsos crucifixores tuos. In  
odore horum currimus , ut pacem  
mansueti , & paciforum hæredita-  
tem capiamus.

(q) Bern. serm. 22. Cant.

### C A P U T VIII.

*Christiformitas cum IESV prædicante  
in Charitate fraterna.*

**D**ILECTIO proximi præceptum  
Christi est, et si solùm fiat, sufficit,  
aje-